

precluderet, hanc ergo Filium Dei agnoscimus, & non solum quodammodo, ut contendeant olim Ariani; & quidem tanta pertinacia ac pervicacia, ut unius littere additio Ecclesie unitatem laceraverit, & pro una enim littera (inquit Hilarius) ditia pugnantur, sed ipsa veritas, & consubstantialitas tandem de errore triumphavit.

118 Quarto, cum intelligere in Deo fit eminentissimo modo speculativum & practicum: ejusque scientia non solum directiva, sed etiam effectiva rerum, ut Tractatu 3. disp. 3. art. 1. ostensum est; Verbum ex divine intellectiois fecunditate procedens, non solum est speculativum, sed etiam operativum; nec solum creaturas exprimit ac representat, sed etiam illas efficit & conservat; unde in Scriptura vocatur virtus & sapientia Patris, ejus idea, & brachium, & Pater dicitur omnia portare verbo virtutis sue. Denique, ut ait D. Joannes, omnia per ipsum facta sunt. Omnia (addit Augustinus) que facta in celo sunt, que fulgent de super, que volitant sub celo, & que moventur in universa natura rerum, omnia omnino creatura, ut intelligentia ab Angelo usque ad vermiculum.

Cui consonat, quod Moyses mundi originem describens, in singulis operibus tali utitur modo loquendi: Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; Dixit Deus, fiat firmamentum, & sic de aliis. Quae omnia Psalmista comprehendit, dicens: Dixit & facta sunt, dicere enim est verbum producere. Sic ergo intelligendum est, quod Deus dixit, & facta sunt: quia Verbum produxit, per quod res in esse produxit, sicut per earum rationem perfectam. Ita D. Thomas 4. contra Gentes, cap. 13. Ubi etiam egregie observavit, quod Verbum Dei in hoc differt a ratione quae est in mente artificis, quod Verbum Dei est Deus subsistens, ratio autem artificis in mente artificis non est res subsistens, sed solum intelligibilis forma: forma autem non subsistens non comparat proprie ut agens (agere enim rei perfecta & subsistens est) sed est ejus ut eo agens, est enim forma principium efficiens quod agatur agit. Ratio igitur domus in mente artificis non agit domum, sed artifices per eam domum faciunt: Verbum autem Dei quod est ratio rerum factarum a Deo cum sit subsistens, agit, & non solum per ipsum aliquid agitur; & ideo Dei sapientia ait Prez. 8. Cum eo erant cuncta component. Et Joann. 5. Dominus dicit: Pater meus operatur, & ego operor.

Sed quia, (ut ibidem notat S. Doctor) idem est causa conservacionis rerum & productionis ipsarum: sicut omnia per Verbum facta sunt, ita & per Dei Verbum conservantur in esse. Unde Psalmista dicit: Verbo Domini caeli firmati sunt. Et Apostolus ad Hebraeos 1. ait de Filio, quod portat omnia verbo virtutis sue. Item D. Joannes, ubi asserit omnia per Verbum esse facta, statim addit sine ipso factum est nihil: ut per hoc denotaret, omnia quoque per Verbum facta sunt, per Verbum, & in Verbo conservari. Unde idem Angelicus Doctor ibidem lect. 2. Quaedam sunt quae non indigent operante, nisi quantum ad fieri, cum possint subsistere, postquam fuerint facta, absque operante influxum sicut domus indiget quidem arte facta, quantum ad suum fieri, sed tamen persistit in suo esse absque artificis influxu. Ne ergo crearet aliquis omnia per Verbum sic facta esse quod sit causa eorum, quantum ad fieri solum, & non quantum ad conservacionem in esse: ideo consequenter Evangelista subiunxit, & sine ipso factum est nihil: hoc est, nihil factum est extra ipsum, quia ipse amicit omnia, conservans ea.

Quinto, in Deo prima & perfectissima ratio vitae consistit in intelligere: quare D. Thomas supra quaest. 18. art. 3. probat quod Deus obtinet perfectissimum gradum vitae, eo quod in summo intellectualitatis apice existit: Ergo cum Verbum ex divina intellectioe procedat, debet non solum esse vivens, sed etiam vitale ac vivificans, & ipsa vita per essentiam, in qua omnia quae facta sunt, ab aeterno vivunt. Et ideo subdit Joannes Quod factum est in ipso vita erat. Quae verba expendens S. Thomas ibidem lectione 1. sic ait: Res dupliciter considerari possunt, scilicet ut sunt in seipso, & ut sunt in Verbo. Si considerentur secundum quod sunt in seipso, sic non emittuntur sunt vita, nec etiam viventes, sed aliqua carent vita, aliqua vivunt. Sicut facta est terra, facta sunt etiam & metalla, quae nec vita sunt, nec vivunt, facta sunt animalia, facti sunt homines qui secundum quod sunt in seipso, non sunt vita, sed vivunt solum. Si vero considerentur secundum quod sunt in Verbo, non solum sunt viventes, sed etiam vita: nam ratione in sapientia Dei spiritualiter existentes, quibus res facta sunt ab ipso Verbo, vita sunt. Sicut arca facta per artificem, in se quidem nec vivit, nec vita est; ratio vero arca quae processit in mente artificis, vivit quodam modo, in quantum habet esse intelligibilem in mente artificis; non tamen est vita, quia ipsum intelligere artificis non est sua essentia, neque suum esse. In Deo autem suum intelligere est sua vita, & sua essentia: & ideo quicquid est in Deo, non solum vivit, sed est vita ipsa, quia quicquid est in Deo, est sua essentia; unde creatura in Deo est creatrix essentia. Si ergo considerentur res secundum quod in Verbo sunt, vita sunt.

Hanc doctrinam ab Augustino didicerat D. Thomas: ille enim Tract. 1. in Joann. eadem Evangelistae verba expendens, eam discrete tradit, his verbis: Faber facit arcam. Attendenda arcam in arte, & arcam in opere non est vita; arca in arte vita est, quia virtus animae artificis, ubi sunt ista omnia antequam perficiantur. Sic ergo quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia, hic quae sunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quicquid factum est, vita in illo est. Terram videt, est in arte terra: celum videt, est in arte celum; Solem & Lunam videt, sunt & ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.

Sexto, Verbum Divinum non solum est vita per essentiam, in qua omnia vivunt, & vivificantur; sed est etiam lux vera, quae omnia suo fulgore illustrat, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde subdit Evangelista: Vita erat lux hominum. Et Propheta Regius Psalmo 34. ubi dicit: Apud te est fons vitae. Ratim subijcit: Et in lumine tuo videbimus lumen.

Licet autem singulis SS. Trinitatis personis praeclara haec lucis appellatio competat: Pater enim lux est, Filius ejus splendor, Spiritus sanctus utriusque lumen infinitum; Pater lux ingenta, Filius lux genita, Spiritus sanctus lux a Patre Filioque effusa; Pater primum lumen, Filius lumen de lumine, & Spiritus Sanctus lumen ab utroque lumine: nihilominus speciali titulo pulcherrimum hoc lucis nomen Filio appropriat. Lux enim prima est Solis emanatio, ex qua postmodum calor erumpit: At Filius vapor est Omnipotentis, candor Divinae lucis, paternae gloriae splendor, ex quo Spiritus sanctus, notionalis utriusque amor, scintilla. Lux ad notitiam spectat: Filius vero per viam cognitionis procedit. Denique lux obscura quaeque manifestat: Verbo autem aeternus Pater secretiora mentis suae arcaea revelat. Unde S. Thomas 4. contra Gentes cap. 13. ait: Joann. 1. dicitur quod vita erat lux hominum: quia scilicet ipsum Verbum, quod vita est, & in quo omnia vita sunt, manifestat ut lux quaedam moribus hominum veritatem: Juxta illud Propheta: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, &c.

Verbum ergo lux est, sed lux quae in tenebris nostrae mortalitatis luget, & qua, ut ait Bernardus, Nube carnis tegitur, non ut obscuratur, sed ut temperetur. Unde subdit Evangelista: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, ut scilicet splendor gloriae Patris, & Angelorum lumen, fieret lux hominum & illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Et idcirco Hebraei cap. 9. mysterium hoc quasi jam factum conficiens, latitudus exclamabat, dicens: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis, lux vera est eis.

Septimo, cum unica sit Patris dictio & intellectio, unum solum potest esse illius Verbum: illud enim est terminus adequatus cognitionis divinae; cum per illud & in illo, ut supra art. 1. & 2. ostensum est, Pater aeternus essentiam, attributa, relationes, & omnes creaturas possibiles cognoscit. Unde Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. Novit itaque omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio. Sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quae sunt in seipso. Omnia similiter novit & Filius, in se scilicet tanquam ea quae sunt de his quae Pater novit in se ipso. In Patre autem tanquam ea de quibus nata sunt, quae ipse Filius novit in seipso. Sciunt ergo invicem Pater & Filius sed ille gignendo, iste nascendo. Et Tract. 21. in Joann. sic ergo demonstrat Pater omnia quae fecit Filio, ut in Patre sit omnia Filius. Videndo enim natus est, & nascendo videt. Sed non aliquando non erat natus, & postea videt: Sed in eo quod est illi videre, in eo est illi esse, in eo est illi natus esse. Et paulo post: Verbum Patris est Filius, nihil dicit Deus quod non dicit in Filio: dicendo enim Filio quod facturus erat Pater per Filium, ipsum Filium genuit per quem fecerat omnia. Similiter docet D. Thomas in c. 1. Joann. ubi exponens haec verba Evangelistae, Verbum caro factum est: Haec (inquit) est differentia inter Verbum Divinum & humanum, quod verbum nostrum est imperfectum, sed Verbum Divinum est perfectissimum: quia enim necesse postquam omnes nostras conceptiones uno verbo exprimeret, ideo oportet quod pura verba imperfecta sermone; per quae divinum exprimat omnia quae in scientia nostra sunt. In Deo autem non est sic: cum enim & seipsum, & quicquid intelligit, per essentiam suam unico actu intelligat, unicum Verbum Divinum est expressivum totius quod in Deo est, nec solum personarum, sed etiam creaturarum, alias esse imperfectum.

Addo quod, inter Angelos quoque magis aliquid dignitate praecellunt, eo paucioribus speciebus & verbis ad enuntiandos proprios conceptus utuntur: Ergo cum Deus superpreum intellectualitatis apicem attingat, unico Verbo perfectissimo omnia viae infinite sapientiae arcaea manifestat. Unde ait Propheta Psal. 61. Semel locutus est Deus, duo haec audivi. Semel enim loquitur Deus, quia unicum Verbum

Verbum ab aeterno protulit, & continuo profert: sed duo audit Propheta, quia hoc unico Verbo Pater omnia declaravit.

Nec miram quod Deus tantum semel loquatur: homines enim saepe loquuntur, quia illorum verba, cum nihil aliud sint quam inanis quidam & vacuus sonus aere verberans, mox fluunt & transiunt, ac subito evanescunt: Verbum autem Dei, cum sit ipsa veritas subsistens, ipsa quae Dei substantia, non transiit, sed permanet semper ac subsistit. Unde Bernardus serm. de verbis Abac. Semel locutus est Deus, semel utique, quia semper; una enim & non interpolata, sed continua locutio est. Hinc Propheta Regius Psal. 44. linguam Patris aeterni, Verbum increatum profertens, comparat calamo scribae velociter scribentis: quia (ut ibidem egregie notat Augustinus) quod lingua dicitur, sonus & transit: quod scribitur, manet. Cum ergo dicitur Verbum, & Verbum quod dicitur non sonus & transit, sed & dicitur & manet; scriptis hoc maluit Deus comparari quam sonis.

Unicum ergo est Dei Verbum, quia perfectissimum, & infinitum. Unicum, quia unio actus suae infinite sapientiae, Pater omnia comprehendit. Unicum, quia non transiit, sed in aeternum permanet. Unicum, quia unicus Patris unicus est Filius. Unicum tandem, quia in illo absconditi sunt omnes thesauri Sapientiae & scientiae Dei. Unde Joannes illius encomia his verbis concludit: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenam gratiae & veritatis.

122 Denique, cum intellectio sit actio omnino immaterialis, & immaterialis ratio a priori intellectualitatis: ut docet D. Thomas supra q. 14. art. 1. ubi probat Deum esse summe intelligentem, quia est summe immaterialis: Verbum Divinum est immaterialiter genitum; & per consequens illius generatio purissima & castissima est. Neque enim (inquit Tertullianus) Filius natus est de Patris semine, non de feroci intello, nec de stupro filiae aut conjugis alienae: Deum Patrem passus est, non Ignamatum, aut carnatum, aut plumatum a matre, aut in auribus conversum. Juxta enim ipsa sunt unigeniti vestri. Nascitur ex Deo Patre Filius, sicut radius ex Sole; flos ex virga, rivulus ex fonte, & sicut verbum ab intelligente. Nec ratio Sol corrumpitur, nec flos virga foetatur, nec fons ex rivuli fluxu foedescit; nec verbum corpore, sed mente generatur. Radius, Solis est splendor; flos, virgae ornatu; rivus, fontis decus & ornamentum; & verbum purissimum intellectiois terminus, ejusque perfectio, & complementum.

Sed quod adhuc mirabilis est, Verbi Divini generatio, non solum pulchra & casta est, sed etiam splendida & cum claritate, juxta illud Sapient. 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Casta est, quia immaterialis, & a Patre virgine, a quo, sicut omnis paternitas, ita virginitas quam in terris imitarentur effluxit, juxta illud Nazianzen: Prima Tris virgo est. Splendida est & cum claritate: quia a Patre lumen in splendoribus Sanctorum, & inter meridianos aeternitatis fulgores, ac aeternorum luminum irradiatione (id est ex perfectissima ac comprehensiva essentia, personarum, attributorum, & creaturarum omnium possibilitium cognitione) perfluit. Unde Dei Filius ex fine Patris procedit, non solum plenus gratia, decore, ac pulchritudine, sed etiam scientia, sapientia, & veritate, ut D. Joannes in fine ejusdem primi capituli attestatur.

123 Ex his deduci possunt plures prerogativae & excellentiae quae Dei sermoni conveniunt: cum enim ille sit quidam a Verbo Divino effluxus, ejusque imago & participatio, plures ejus prerogativae, & perfectiones participat.

In primis vix explicari potest, quanta sit illius virtus ac fecunditas: est enim quasi semen Dei, quo anima spiritaliter fecundata, Deum concipit, & quo fideles Dei Filii, immo & Dei quodammodo efficiuntur, juxta illud Propheta Psal. 81. Ego dixi Dei filii, & filii Excelli evenerunt. Ex quo Christus in Evangelio argumentum desumpsit, ad probandum suam divinitatem. Si enim, inquit, illos dicit Deus Scriptura, ad quae forma Dei factus est; quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, non dicitur quia blasphemus, quia dicitur: Filius Dei sum. Ubi Eucherius: Si illi dicuntur Dei, ad quae Dei forma factus est, & ideo quidam Dei dicuntur, quia sermone Dei custodiant, quare non magis ipse sermo Dei dicitur Deus.

Sed quod mirare magis, non solum Dei Filios adoptivos Dei sermo constituit, sed ipsum etiam Filium Dei naturalem, ante omnia saecula aeterna Patris locutione & dictione genitum, in tempore generavit. Verbo enim Deipara Virgo Verbum concepit & peperit, ut lepide expendit Bernardus homil. 4. super Missus est, ubi sic eam alloquitur. Responde Virgo Verbum, & suscipe Verbum; profer tuum, & concipe Divinum; emitte transitorium, amplectere sempiternum. Quod caritas, quid trepidas? Crede, conferte, suscipe. Aperi Virgo Beata cor fidei, labia consilii, viscera Creatori:

Nec minor hujus Divini Verbi efficacia ac fecunditas in ore Sacerdotis cernitur; ubi enim haec verba protulit: Haec est corpus meum: ore suo, veluti apud argumentosa, inter horum verborum flosculos Christum legit, & fractus ventris virginis, sic partus laborum ipsius. Idem in aliis Sacramentis contingit: Accedit enim (inquit Augustinus) Verbum ad elementum, & sic Sacramentum. Unde B. Jacobus fideles hortatur, hoc verbum, veluti aliquid germen caeleste, in corde suscipere: Suscipite, inquit, verbum infans, quod parit salutare animas vestras. Exemplum ex agricultura sumptum est. Sicut enim hortulani arboribus sylvestribus nobilioris ligni fructuosos & gemina inferant, ut praestantiores fructus ferant; ita similiter Deus verbum suum, tanquam caeleste aliquid germen, in corde peccatoris inserit, ut fructus caelestes & divinos, id est opera supernaturalia, & vitae aeternae meritoria, possit producere.

125 Praeterea Divinum illud Verbum, non solum est fecundum, sed etiam saluterum, ac sanans omnes animi languores & infirmitates, juxta illud Propheta: Misi verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitibus eorum. Apprime noverat miram hanc Divini Verbi virtutem Centurio; qui sic Christum affatus est: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dicit verbo, & sanabitur puer meus. Cujus fidem summopere extollens Chrylogos, ait: Verbum a Verbo petit, quia creditur in Verbo omnes manere virtutes. Et addit: Verbum tuum Domine sanavit est; Verbum tuum vita est. Verbum tuum ubi accesserit, inde confusio fugit dolor, infirmitas mox recedit.

Denique Verbum Divinum non solum est lucens, sed etiam ardens; nec desert tantum splendorem & lucem, sed divinum etiam spirat ac inspirat ardorem. Nam, ut inquit S. Thomas infra q. 43. art. 5. ad 2. Filius est Verbum, non qualemque, sed spirans amorem. Spirit enim amorem in corde Patris, producendo cum illo Spiritum sanctum. Spirit dilectionem in sinu matris, in quo divini amoris incendia copiose effudit. Spirit etiam amorem in cordibus fidelium: nam ipsemet ait: Ignem veni mittere in terram, & quid vobis, nisi ut ardeatis? Unde duo Discipuli in Castello Emau, hoc divino igne accendit, dicebant ad invicem: Nonne cor nostrum ardere erat in vobis, dum loqueretur in vobis, & aperiret nobis scripturas?

DISPUTATIO X.
De Persona Spiritus Sancti.
Ad quaestiones 36. & duas sequentes.

DISPUTATIO X.

De Persona Spiritus Sancti.

Ad quaestiones 36. & duas sequentes.

Ergo jam ad nomen boni nostrae venias oratio: inquit Dionysius c. 4. de divin. nomin. Loquamur ergo de Spiritu sancto, ejus essentia bonitas, cuius affectus amor, & cui nomen caritas & dilectio. Verum sicut nemo scit quae hominis sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est: sic ea quae sunt Dei, vel Spiritus Dei, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Spiritus quippe sanctus (inquit Augustinus tract. 74. in Joann.) potest esse sine nobis, datur etiam ut sit in nobis sed videtur & sciri, quemadmodum videmus, & sciendus est; non potest a nobis, si non sit in nobis. Veni ergo Spiritus alme (prosequitur idem S. Doctor in medit.) Veni divini amor nuntius, Patris omnipotentis, prosequere beatissima sancta communicatio omnipotens Paracleti, mentium consolator; cordi mei penetrabilis potentia illudere virtute, & tenebrae quaeque mentis meae, consilii luminis fulgore, & puer habitator letifica. Veni fortitudo fragillum, humilium doctor, superbiorum destructor. Veni sancte Spiritus, & emitte caelitus lucis tuae radium, quod purgata ingenioli mei acies, Divinitatis tuae arcaea valeat penetrare.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur ab illo?

Titulus unum supponit, & aliud inquiri. Supponit Spiritum sanctum a Filio procedere, & inquiri autem distinguetur ab illo, si ab eo non procederet. Licet autem primum sit certum de fide, & a pluribus Conciliis definitum: quia tamen pertinaciter negatur a Graecis schismaticis, contententibus Spiritum sanctum a solo Patre procedere: idcirco antequam aliud punctum, in quo inter Schole Angelicae & sub illius Discipulos celebris est controversia, aggrediamur: opera pretium videtur, Graecorum errorem resellere: & Ecclesiae definitionem, Scripturarum, & SS. Patrum testimonium, nec non aliquibus rationibus & congruentiis, firmare ac roborare.

§. I.

Græcorum error, circa processionem Spiritus Sancti, testimoniis Scripturæ, & SS. Patrum refellitur.

Post hæresim Macedonii, qui Spiritus sancti divinitatem negavit, novus Græcorum error circa illius processionem pullulare cepit. Theodoretus enim D. Cyrillo in contradictione noni anathematismi obicit, quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, quia id Scriptura non dicit, sed solum a Patre, cum id Scriptura testetur. Qui error, quomvis aliquo tempore sopitus manserit, postea tamen a Theophylacto rursus excitatus est. Ille enim super cap. 3. Joann. ad illa verba: Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: docuit Spiritum sanctum vocari Spiritum Filii, non quod ab illo procedat, sed quia per Filium hominibus datur. Quem errorem postea alii Græci tanta pertinacia amplexi sunt, ut a communionem Ecclesiæ Latinæ, tempore Leonis IX. anno 1051. ineliceret recesserint.

Catholica veritas, quæ asserit Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere, in variis Conciliis definita est. primo in Concilio Barensi, apud Barium in Apulia coacto, ab Urbano II. circa annum 1097. quo tempore maxime fervebat Græcorum Schisma: in quo Concilio S. Anselmus omnino convicit Græcos. Secundo in Lateranensi sub Innoc. III. Deinde in Lugdunensi sub Gregorio X. Et tandem in Florentino sub Eugenio IV. ubi hæc res summa diligentia pertractata est, & consentientibus etiam Græcorum præcipuis, ac præsentis Orientis Imperatore, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere definitum fuit, & in litteris sanctæ unionis insertum. Ibidem etiam sess. 9. Andreas Doctor Latinus adducit vetustissimum codicem Græcorum, Synodi 7. generali, in cuius actione 7. legitur de Spiritu sancto: qui a Patre Filioque procedit. Unde creditur alios codices Græcos, in quibus non habetur illa particula, Filioque, fuisse a Græcis schismaticis corruptos.

Præter Conciliorum definitiones, in eisdem veritatis confirmationem plura Scripturæ testimonia adduci possunt. Primi generis sunt ea, in quibus Spiritus sanctus dicitur esse Spiritus Filii Dei: ad Rom. 8. ad Galat. 4. & ab illo mitti, Joann. 15. Non potest enim dici aliquid alterius esse, nisi iste in illum auctoritatem habeat; cumque auctoritas inter personas divinas nequeat esse titulo dominæ ac servitutis, debet esse auctoritas originis. Unde quemadmodum Filius esse Patris, denotat Filium habere originem a Patre, ita Spiritum sanctum esse Filii, significat ipsum a Filio procedere. Item, ut egregie discipulit D. Thom. 4. cont. Gent. cap. 24. Mittens aliquam auctoritatem habet in missum: Oportet igitur quod Filius mittens Spiritum sanctum habeat aliquam auctoritatem in illum: Sed non dominii vel majoritatis, ut pater: Ergo originis.

Si quis autem dicat, quod etiam Filius a Spiritu sancto mittitur, juxta illud Isaie 61. Spiritu Domini super me: evangelizare pauperibus misit me: Considerandum est (inquit Anglicus Doctor) quod Filius a Spiritu sancto mittitur, secundum naturam assumptam: Spiritus autem non assumptæ naturam creatam, ut secundum eam posse dici missus a Filio. Unde si a Filio mittitur, secundum naturam divinam ab eo mittitur, & consequenter ab eo procedit.

Secundi generis testimonia ea sunt, in quibus Spiritus sanctus dicitur a Filio accipere, Joann. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet. Ex quibus verbis duplex argumentum consistit. Primum est: Spiritus sanctus accipit a Filio scientiam, ut interpretatur Augustinus, Cyrillus, & Chrysostomus ad illum locum: Ergo de illo accipit substantiam & essentiam, & consequenter ab illo procedit. Secundum est: Omnia que habet Pater sunt Filii, præter id in quo relative opponitur, ut verba tradita testantur. Atqui spiritalis activa convenit Patri: Ergo pariter debet convenire Filio; & per consequens Spiritus sanctus ab utroque procedere.

Confirmatur: Christus ipse in præallegatis verbis hæc facit consequentiam: Omnia quæ habet Pater, mea sunt: Sed Spiritus sanctus accipit a Patre: Ergo de meo accipiet: Ergo similiter venitas hujus consequentiam concedi debet: Omnia quæ habet Pater, sunt Filii: Sed Pater habet ut ab illo procedat Spiritus sanctus: Ergo id etiam habet Filius; & consequenter Spiritus sanctus procedit ab illo.

Neque valet responsio Græcorum, dicentium Spiritum sanctum accipere de eo quod Filius dicit esse suum: quia accipit de thesauro sapientiæ Patris, qui etiam thesaurus est Filii, non Filio dante, sed dumtaxat Patre.

Non valet, inquam, hoc effugium: nam si valeret, posset pariter dicere Spiritus sanctus de Filio, ille de meo accipiet: Consequens est falsum, frustra enim hoc sibi Filius tribueret ut speciale: Ergo, &c. Sequela est mani-

festa: nam quia essentia Patris pertinet etiam ad Spiritum sanctum, Filius accipit de aliquo quod pertinet ad Spiritum sanctum, dum accipit essentiam a Patre: Ergo si de solum titulo Spiritus sanctus dicitur a Filio accipere, quia accipit essentiam & scientiam a Patre, quæ sunt etiam Filii, solo Patre illam dante, & non Filio; poterit similiter dici, Filium a Spiritu sancto scientiam & naturam accipere.

Testimonia tertie classis ea sunt, in quibus Christus dicitur insuflasse in Discipulos, dicendo illis: Accipite Spiritum sanctum. Joann. 20. hoc enim denotat quod ipse spirat & insuflat hunc divinum amorem. Ita Augustinus l. 15. de Trinit. cap. 26. Cum resurrexisset a mortuis (inquit) & apparuisset Discipulis suis insuflavit & ait: Accipite Spiritum sanctum, ut etiam de se procedere ostenderet. Illi concinit Bernardus ferm. 8. in Cant. his verbis: Insuflavit & dicitur accipere Spiritum sanctum. Oculum profecto fuit. Quid, corporeus ille flatus? Non, sed invisibilis Spiritus, qui propterea in illo Domini insuflatus datus est, ut per hoc intelligeretur, & ab ipso pariter, tamquam a Patre procedere, tamquam vero osculum, quod osculanti osculoque commune est. Unde etiam Psal. 32. Spiritus sanctus dicitur oris Dei spiritus; id est Verbi Divini, quod os est Patris, ut ait Ambrosius.

His locis novi testamenti addi possunt hæc verba Psalmi 109 quæ Pater dicit ad Filium: Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Illis enim Pater æternus aperte declarat, se esse cum Filio principium in die æternitatis: in quo in splendoribus sanctorum (id est in lumine suæ infinitæ sapientiæ) ipsum generat: Sed non potest in die æternitatis esse principium nisi Spiritus sancti, cum creature ab æterno a Deo non processerint: Ergo ab æterno Spiritus sanctus a Patre, Filioque procedit. Unde dies illa æternitatis vocatur die virtutis Filii Dei: quia nec in creatione, nec in redemptione, nec in aliis operibus ad extra, ita reducta infinita ejus virtus & potentia, sicut in productione Spiritus sancti. Quod declarat Lippomanus ex illo Exodi 28. ubi Deus ait Moysi: Laminam facies de auro purissimo, in qua sculpsit opere calatoris, sanctum Dominum, id est nomen Dei Tetragrammaton, quod significat principium. Hoc enim portat in fronte summus Sacerdos: quia hæc est magna gloria Pontificis nostri Jesu Christi, esse in die æternitatis (in quo a Patre in splendoribus sanctorum generatur) una cum illo principium personæ divine, scilicet Spiritus sanctus.

Accedit etiam unanimis fere Patrum consensus, ante ortum schismæ Græcorum, qui æquivalent traditioni Ecclesiasticæ, & Apolliticæ. Primo loco sese offert S. Martialis Galliarum Apostolus, & unus ex primis D. Petri Discipulis, qui in Epistola quam scripsit ad Burgalenses cap. 10. Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere apertissime docet, his verbis: Verbum in quod credidistis, Filius est unigenitus ante omnem substantiam: Spiritus vero non est generatus sicut Verbum, quia & Spiritus Sanctus in divina æqualitate gloriosus, processit inextinguibiliter ab eo qui genuit, & ab eo quoque qui genuit est.

Idem docent alii Patres, non solum Latini, sed etiam Græci: ut Athanasius in Symbolo fidei, ubi sic habet: Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec generatus, sed processit. Basilis l. 2. contra Eunomium. Chrysostomus homil. de expositione Symboli, ubi loquens de Spiritu sancto, ait: Ipse Spiritus procedens de Patre & Filio, qui dividit dona prout vult. Dydimus lib. de Spiritu sancto, ubi exponens illud Christi Joann. 16. Non enim loquor a semetipso, suadit: Hoc est sine me & sine meo & Patris arbitrio; quia ex Patre & ex me est: hoc enim quod subsistit & loquitur, a Patre & a me illi est. Cyrillus denique Alexandrinus, qui expresse in hoc puncto refutit Theodoretum, in defensione noni anathematismi. Qui plura cupit, legat D. Thom. opus. 1. quod contra errores Græcorum de mandato Urbani IV. composuit, ubi c. 32. & sequentibus, plura SS. Patrum adducit testimonia.

Præcipue notandum est illud Nazianzeni orat. 5. de Theologia, ubi Divinam Trinitatem comparat tribus primis personis generis humani: scilicet Patrem, Adæ, quia Pater a nulla Persona, ut Adam a nullo homine, est ortus: Filium vero Evæ, quia Evæ ex Adami substantia processit, ut Filius a solo Patre: Spiritum sanctum Seth, quia ab Adamo & Eva ortus est, ut Spiritus sanctus a patre & Filio procedit.

Non est etiam omitendum illud Athanasii ferm. 4. ubi 13 comparat Patrem Soli, Filium luci seu splendori, & Spiritum sanctum ardori seu calori: & docet quod sicut a Sole procedit lux, & a Sole & luce calor; ita & a Patre Verbum generatur, & a Patre Filioque Spiritus sanctus producit. Quam veritatem, licet abstrusissimam, Mercurius Trifmegistus fudodoratus erat: vel in sacris Scripturis legerat, cum in Pymandro c. 8. hæc scripsit: Mens autem Deus, universique sexus facunditate plenissimus, vixit & lux; cum Verbo suo mentem alteram episcopi peperit, quæ quidem ignis, æque Spiritus nomen.

Contra

Contra tam clara & aperta Scripturæ & Patrum testimonia, nihil habent Græci Schismatici quo se tueantur, præter animi pertinaciam, ob quam sub misera Mahometanorum servitute gemunt. Constantiнопoli Turcis capta (ut plures Historici referunt) in ipsis festis Pentecostes, Spiritui sancto consecratus: ut verificetur illud quod Christus dixit Matth. 12. Qui blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Alii tamen Historici, qui eo tempore vixerunt ac floruerunt, asserunt non in festis Pentecostes, sed feria tertia post Dominicam Trinitatis ingentem illam urbem quæ Sedes erat Orientalis imperii, a Mahometo II. Turcarum Imperatore, fuisse captam, ac penitus devallatam, & tunc Orientis Imperium a Græcis ad Turcas fuisse translatum: sicut sexcentis quinquaginta annis antea, in penam hæresis Iconoclastarum, Imperium Occidentis ab illis Græcis ad nostros Gallos transfusum fuerat. De quo videri possunt Historici.

§. II.

Spiritum Sanctum a Filio procedere rationibus Theologicis suadetur.

Præter Scripturæ & Patrum testimonia, quedam rationes Theologicæ in eisdem veritatis confirmationem adduci possunt. Illas reducit D. Thom. hic art. 2. ad tres.

Prima & præcipua est: Si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab illo; cum omnis distinctio realis in personis divinis oppositio relativa oriatur, & oppositio relativa fundetur in processione unius personæ ab alia. De quo fute dicemus §. sequenti.

Secunda est: illud quod procedit per modum amoris, debet necessario procedere a Verbo, eo quod nihil amari possit, nisi quod verbo concipitur: Sed Spiritus sanctus procedit ut amor: Ergo a Verbo procedit. Unde idem S. Doctor infra q. 43. art. 5. ad 2. Filius est Verbum, non quæcumque, sed Spiritus amorem.

Tercia est: Fallum est quod amor procedat a verbo. Primo quia licet amor dependeat ab apprehensione, non tamen a cognitione (nihil enim volitum quin præcognitum) non tamen a verbo, ut patet in visione beatifica, a qua oritur amor perfectissimus, & tamen per illam nullum producit verbum, ut in Tractatu de visione beatifica disp. 2. art. 2. ostensum est. Secundo, quia amor non dependet a cognitione, sed a re cognita & apprehensa: Apprehensio vero solum se habet ut conditio, & non ut aliquid influens in amorem. Tertio, quia intellectus essentialis, & verbum committit dictum, sufficientissime representant bonitatem divinam voluntati, ut amor ex illa procedat. Denique, quia cognitio & verbum effective non concurrunt ad actum amoris, sed finaliter tantum & objective: quod non sufficit ad probandum intentum, cum solum quales sit, an Spiritus sanctus active procedat a Verbo.

Hæc tamen frivola sunt, & vim rationis D. Thomæ non infringunt. Non primum quidem; quia licet in visione beatifica nullum detur verbum creatum, essentia tamen divina generis verbi, concurrat ad amorem beatificum. Nec secundum: eo quod in Deo verbum, cognitio, & res apprehensa, sunt unum & idem; & sic in Divinis verum est quod amor est a conceptu & verbo mentis. Nec etiam tertium, quia in Divinis datur amor essentialis, & amor notionalis: Ergo sicut verbum essentialiter & committitur dictum influat in amorem essentialem, ita verbum notionale, quod est verbum proprie dictum, in amorem notionale influat. Denique nec ultimum, quia valde probabile est, amorem non solum finaliter & objective, sed etiam effective a conceptione mentis, sive ab objecto ut intellectu procedere, ut fute & acute probat Cajetanus infra q. 90. art. 2. Vis præcipua probationis, non est confutit, quod in actu voluntatis duo sunt consideranda, scilicet exercitium, & specificatio; quomvis autem voluntas ex se sit sufficienter in actu, quoad exercitium sui actus, quia ipsa est primum movens quoad exercitium, non est tamen sufficienter ex se in actu quoad specificationem sui actus; alias omnes actus ipsius essent eisdem speciei, sicut ipsa unius est nature: eo proportionali modo quo omnes actus caloris sunt eisdem speciei, quia calor ex se est determinatus quoad specificationem suæ actionis. Oportet igitur quod detur aliud principium: quod cum ipsa voluntate causet specificationem actus: hoc autem non potest esse aliud quam ipsum objectum, ut actu intellectum, sive ut existens in intellectu in ratione termini intellectus: Ergo illud active ad specificationem actuum voluntatis concurrunt.

Præterea, Dato quod hæc sententia Cajetani minus probabilis sit, ac altera que docet objectum cognitum finaliter tantum & objective ad specificationem actuum voluntatis concurrere, de quo in Tractatu de actibus humanis disput. 6. art. 1. semper tamen stat vis rationis D. Thomæ, nam semel habito, quod de ratione amoris in communi,

analogice sumpti, sit procedere a verbo, ex diversâ deinde conditione verbi creati & increati, debet inferri, quod creatum finaliter, increatum vero active, etiam per modum principii, ad amorem concurrat: eo quod Verbum increatum procedat ut persona subsistens in natura divina; & consequenter ut habens voluntatem divinam, quæ elicitive & active spiratur amor.

Tertia ratio. Licet plura, materialiter & solo numero distincta, possint absque ullo ordine inter se ab uno & eodem procedere; quo pacto plures cultelli materialiter distincti procedunt ab eodem artifice absque ullo ordine, & similiter ab intellectu Angeli plures intellectiones solo numero distinctæ: ea tamen que procedunt ab eodem principio, tamquam formaliter & specie ab illo distinctæ, semper ab illo procedunt, cum aliquo ordine originis aut causalitatis, vel saltem cum ordine excessus secundum perfectionem. Quo pacto plures substantiæ immateriales, totiusque cumulus specierum universi, procedunt a Deo: ex quo ordine perfectionis oritur etiam ordo localis in cælis & elementis, ut quæ suprema sunt in gradu perfectionis, sint etiam suprema loco. Et similiter in Angelis idem servatus est a Deo in donis gratiæ, qui est in eorum naturali perfectione. Cum ergo Filius & Spiritus sanctus procedentes ab uno & eodem Patre, distinguantur formaliter & specie, aut quasi specie, cum aliquo ordine ab illo debent procedere; cum in Divinis non possit esse alius ordo, quam originis, superest ut vel Filius procedat a Spiritu sancto, vel e contra Spiritus sanctus a Filio: unde cum Adversarii primum non admittant, necesse est ut fateantur secundum.

§. III.

Convelluntur præcipua fundamenta Græcorum.

Fundamenta Græcorum Schismaticorum levissima sunt & ad tria præcipua capita reducuntur. Primum est, quia Christus in Evangelio, de principio Spiritus sancti loquens, solum Patrem nominat, dicens: Spiritus qui a Patre procedit. Secundum, quia in Symbolo Concilii Nicæni, in quo fides universalis Ecclesiæ expostita est, Spiritus sanctus solum a Patre procedere dicitur. Sic enim in illo habetur: Credo in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio conadorandum. Et in fine hujus Symboli subiungitur: Qui aliter docuerit, vel aliter prædicaverit, anathema sit. Addunt quod Leo III. Romæ prædictum Symbolum, transcritum in tabula argentea, post altare S. Pauli posita, posteris reliquit (per amorem, ut ipse ait, & cautela fidei orthodoxæ) in qua tabula, particula illa Filioque non legitur.

Subiungunt Damaseni locum lib. 1. fidei c. 7. & 8. ubi ait: Spiritus sanctus a Patre procedit, & in Filio quiescit: Et paulo infra: Spiritum sanctum dicimus ex Patre, ex Filio non dicimus. Et alibi: Spiritus sanctus ex Patre quidem est, non autem ex Filio, sed Spiritus oris Dei.

Hæc tamen, ut dixi, frivola sunt. Ad primum enim respondetur, Christum, dum de processione Spiritus sancti in Evangelio loquitur, ideo solum Patrem nominare, quia ad illum solet referre totum quod fuit est, eo quod totum ab illo habeat. Unde Joann. 7. dicebat: Men doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Quæ verba expendens August. Tract. 29. in Joann. hunc modum loquendi Christi admiratur, & subdit: Si non tuas; quomodo tuas? si tuas, quomodo non tuas? Tu enim dicis utrumque; & non mea, & non mea. Cui questioni sic respondet: Quæ est doctrina Patris, nisi Verbum Patris: Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed alicujus; & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum, quam tu? Et quid non tam tuum, quam tu, si alicujus est quod est?

Ad secundum dicendum cum D. Thomæ hic art. 2. ad 2. quod quia tempore Concilii Nicæni nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum sanctum non procedere a Filio, non fuit necessarium ut explicite poneretur in ejus Symbolo, quod Spiritus sanctus a Filio procederet: continebatur enim implicite in hoc quod dicebatur procedere a Patre. Nam (ut supra dicebam) omnia que habet Pater sunt Filii, exceptis his in quibus relative opponitur: in spiratione autem Filii Patris relative non opponitur. Unde quando in aliis Conciliis, Nicæno posterioribus, hæc particula, Filioque, Symbolo addita fuit, non tam fuit additio, quam veritas in Symbolo Nicæno implicite contentæ major expressio seu explicatio.

Ad verba Damaseni respondet idem S. Doctor ibidem 14 in responsione ad 3. Plures ex Græcis in hoc fuisse secutos Theodoricum Neborianum (Theodoreum legendum puto) inter quas fuit etiam Damasenus. Vel dici potest, Damasenum solum velle, Filium non habere quod producat Spiritum sanctum, eo modo quo Pater illud habet: nam Pater illud habet a se, Filius vero a Patre, a quo per æternam generationem virtutem spirativam accipit. In quo etiam sensu Augustinus 5. de Trinit. c. 17. dicit Spiritum sanctum

sanctum principaliter a Patre procedere. Ideo (inquit) addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Patre dedit, non jam existenti, & nondum habenti: sed quidquid Unigenito Verbo dedit, signando dedit. Sic ergo cum genuit, ut etiam de illa domum commane procederet, & Spiritus sanctus, Spiritus est per antonomastum.

§. IV.

Alia difficultas resolvitur.

Supposita veritate fidei, quae docet Spiritum sanctum non solum a Patre, sed etiam a Filio procedere, inquirunt Theologi, an si a Filio non procederet, distinguatur ab illo? Quia suppositio licet sit impossibilis, non est tamen inutilis. Sicut enim utiliter in scholis haec quaestiones agitantur: An si Deus non esset immutabilis, esset aeternus? An si in Deo relationes non essent, manerent personae distinctae? An si homo non esset risibilis, esset distinctus ab equo? Prima ad investigandum, an immutabilitas sit ratio aeternitatis? Secunda, ad intelligendam rationem formalem constitutivam & distinctivam personarum. Tertia, ad discernendum quae sit formalis ratio constitutiva hominem, & ipsam ab equo distinguens. Tamen omnes istae suppositiones sunt impossibiles. Ita pariter, quavis suppositio a nobis facta impossibilis sit: quia tamen conducit ad intelligendam rationem formalem distinctivam Filii a Spiritu sancto, & ad refellendum Graecorum Schismaticorum errorem, otiosa & inutilis censeri non debet.

Dico igitur: Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab illo non distinguatur realiter. Ita D. Thom. hic art. 2. & omnes Thomistae, contra Scotum, & ejusque Discipulos in 1. dist. 11. q. 2.

Probatur primo ex Concilio Toletano 16. in confessione fidei, ubi de Spiritu sancto dicitur: Qui in sancta praesentia Trinitate, tertia persona esse, pro eo quod a Patre Filioque procedit. Ergo si non esset donum procedens a Patre & Filio, non esset tertia persona ab illis distincta.

Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. In Divinis omnia sunt unum, ubi relationis oppositio non obviat: At in hypothesei quod Spiritus sanctus non procederet a Filio, non daretur inter illos rationis oppositio: Ergo nec realis inter utrumque distinctio. Minor patet: nam omnis oppositio relativa in Divinis in origine & processione unius personae ab alia fundatur. Major vero probatur primo ex Concilio Toletano 2. in professione fidei, ubi de personis divinis loquens, sic ait: Haec solum numerum insinuat, quod ad invicem sunt.

Secundo ex Florentino 1. s. 18. ubi Joannes Theologus, ad disputandum contra Graecos ex ordine Praedicatorum assumptus, sic ait: Sola relatio apud omnes tam Graecos, quam Latinos Doctores, divina processione personae multiplicat: cui etiam duo illa a quo & ad quod conveniunt.

Tertio ex Dionysio c. 2. de divinis nom. ubi ait, Benignissimas personarum diversitates esse divinitus processus.

Quarto ex Hostio libro de processione Spiritus sancti c. 2. prope principium, ubi docet quod Pater & Filius in omnibus unum sunt, nisi in his quibus inter eos distinguitur relationis oppositio.

Sexto probatur eadem Major ratione: Cum enim in omnibus perfectionibus absolutis sit inter personas divina unitas perfectissima, in relationibus autem realis inter illas invenitur distinctio, argumentum evidens est, solum relationis oppositionem causam esse realis distinctiois inter illas.

Respondent aliqui, hanc rationem, & praescripta testimonia, solum probare distinctioem, quae de facto inter personas divinas reperitur, ex relativa oppositione procedere, non vero quod ex hypothesei quod Spiritus sanctus a Filio non procederet, non posset absque oppositione relativa realis inter illos salvari distinctioem.

Sed haec responsio trivialis est: Nam in divinis quidquid est possibile, de facto est; & quidquid de facto non est, omnino impossibile est: Ergo si de facto non datur distinctio in personis divinis, nisi ratione oppositionis relative, fundata in origine, omnino impossibile est divinas personas aliter inter se distingui, quam oppositione relativa, fundata in origine, & consequenter quavis suppositio tollens inter Filium & Spiritum sanctum relativam oppositionem in origine fundatam, tollit etiam realem utriusque distinctioem. Sicut quia rationalitas est formalis ratio distinguendi hominem a bruto, quaecumque hypothesis, auferens rationem ab homine, tollit distinctioem ejus a bruto.

Respondent secundo Scotista, non esse idem oppositionem relationis, & oppositionem relativam; gaudet enim relatio duplici oppositione, una relativa, & altera disparata. Quando ergo communiter Patres & Theologi, asserunt, solum oppositionem relationis esse rationem distinctiois realis inter divinas personas, hoc non est intelligendum de oppositione relationis tantum relativa, sed vel de relativa, vel de disparata, inter se distingui, ut in agente fundentur, relatio autem Genitri in passiva generatione, & relatio Spiriti reali oppositione disparata gaudet cum relatione Genitri, focus vero relatio Spiritoris cum paternitate & filiatione.

fiant, solum oppositionem relationis esse rationem distinctiois realis inter divinas personas, hoc non est intelligendum de oppositione relationis tantum relativa, sed vel de relativa, vel de disparata: in casu autem quaestiois habere Spiritus sanctus oppositionem relationis disparatam cum Filio, est non relativam; ac proinde posset realiter ab eo distingui.

Haec responsio & doctrina praecipuum est Adversariorum fundamentum, & fere unicum punctum, ad quod rediunt celebres haec inter Angelici & subtilis Doctoris discipulos controversia. Unde contra illam multipliciter arguitur.

Primo: Aliqua esse ad invicem, non verificatur proprie, nisi relative se habeant: Ergo personas divinas distingui per hoc quod ad invicem sunt, non salvantur cum proprietate, nisi distinctio oppositione relativa proveniat: Sed Concilium Toletanum verbis allegatis docet personas divinas inter se distingui, per hoc quod ad invicem sunt: Ergo intendit illas oppositione relativa, non vero disparata, inter se distingui. Unde ibidem explicans qualiter personae divinae ad invicem sunt, haec subiungit: Quod ergo Pater, non ad se, sed ad Filium est; & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relatione refertur.

Secundo, Joannes Theologus in Concilio Florentino ait, quod sola relatio divina processione personas multiplicat, & quod nulla alia ratio distinctiois & discriminis est in personis divinis, nisi per hoc quod una persona est ab altera: At hoc est falsum, si persona divina non solum oppositione relativa, sed etiam disparata possent ab invicem distingui; nam ut una persona disparate se habeat ad alteram, non est necessarium quod ab illa procedat. Ergo praesata responsio Florentini doctrinae contradicit. Item idem Joannes Theologus ibidem asserit, Quod substantia cum personis communitur, proprietates vero nequaquam communicabiles sunt; quod quidem ex relationis vi creditur evenire. Sed quod provenit ex vi relationis, ex oppositione relativa, non vero ex disparata oritur: Ergo incommunicabilitas, & per consequens distinctio divinarum personarum, ex sola oppositione relativa, non vero a disparata, provenit.

Tertio, Anselmus asserit quod in Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio: Sed oppositio disparata, cum non sit relativis propria, sed absolutis & relativis communis, relationis oppositio appellari non potest: Ergo juxta Anselmum, oppositio disparata non est ratio distinctiois in Divinis, sed tantum relativa.

Quarto, distinctio quae oritur ex oppositione disparata, provenit ex finitate & limitatione: Sed persona divinae infinite & illimitatae sunt: Ergo ratione oppositionis disparate ad invicem distingui non possunt. Major patet in misericordia & justitia, amore & sapientia, quae sunt perfectiones disparate; & tamen in ente infinito, in quo omni imperfectione & limitatione caret, identificantur realiter. Unde D. Thom. q. 7. de potentia art. 8. ad 4. probat in Deo non esse aliam oppositionem, quam relativam, Quia in aliis oppositis semper alterum est imperfectum: hoc autem in relativis non oportet, immo utrumque considerari potest ut perfectum.

Confirmatur: Si aliqua forma disparate, ratione oppositionis disparate, possent in Divinis distingui realiter, maxime ille quae pertinent ad ordines primo diversos, ut sunt ratio entis absoluti & relativi, quia ille magis disparate sunt: Sed in Divinis ratio entis absoluti, & ratio relativi, non distinguuntur realiter; relationes enim cum essentia divina & perfectionibus absolutis realiter identificantur, ut disp. 3. art. 1. ostensum est. Ergo distinctio ex oppositione disparate proveniens, locum non habet in Divinis.

Quinto, Quod relationes distinguunt personas divinas, debet provenire a relationibus formalissimae sumptis, & secundum oppositionem quae illis solis competit: Sed distingui per relationes, ut sunt formae disparate, non est distingui per illas, secundum oppositionem illis solis convenientem, quia oppositio disparate est communis formis absolutis & relativis: Ergo distinctio quae competit personis divinis ex relationibus, non provenit ex oppositione disparate, sed relativa.

Tertio probatur conclusio, & simul impugnatur praecedens solutio. Relatio spirationis non est distincta realiter a paternitate & filiatione: At hujus identitatis hae indistinctiois, nulla alia potest assignari ratio, quam carentia oppositionis relative: Ergo sola oppositio relativa, est ratio distinctiois realis in personis divinis.

Respondent Scotista, negando Minorem. Dicunt enim rationem hujus indistinctiois non peti ex eo quod illae relationes non opponuntur relative inter se, sed quia non opponuntur disparate realiter, sed ratione, vel ex natura rei. Quod si ab illis quaeratur, cur relatio Spiratoris realiter disparate non opponatur filiationi & paternitati, relatio autem Spiriti ex proprio conceptu opponatur realiter disparate relationi Genitri & Filii? Respondent cum Subtili

Subtili Doctore, rationem hujus discriminis esse, quia non repugnat idem agens duplici actione duos terminos producere, sicut repugnat eundem terminum duplici processione adaequata produci: unde cum relationes Spiratoris & Paternitatis super adduntur ut in agente fundentur, relatio autem Genitri in passiva generatione, & relatio Spiriti reali oppositione disparata gaudet cum relatione Genitri, focus vero relatio Spiratoris cum paternitate & filiatione.

Sed haec solutio non satisfacit: Nam quando dicunt eundem terminum non posse duplici processione adaequata produci, vel loquuntur de distinctione virtuali utriusque processiois, vel de distinctione reali? Si primum, falsum est non posse eundem terminum realiter duplici processione virtualiter distincta procedere, immo est impossibile quod processiones passivae solum virtualiter distinguantur; & quod illarum termini realiter inter se differant, cum passiva processio adaequata identificetur cum termino. Si secundum, est petitio principii: cum enim passivae origines in relatione consistant, asserere quod relationes Spiriti & Genitri distinguantur realiter, quia passivae origines realiter distinguuntur, est idem per idem respondere, & principium petere; nam quod hoc eadem est difficultas, quomodo in praedicta casu distinguantur realiter origines, sine eo quod una ab altera sit, ac quomodo realiter differant relationes absque relativa oppositione.

Præterea, si ex creaturis argumentum sumitur, non minus repugnat terminum productum cum actione sui principii, & aliqua illius relatione identificari, quam eundem terminum duplici processione adaequata produci: At primo non obstante, filiatione producta in Divinis identificatur realiter cum actione spirativa Patris, & cum relatione Spiratoris, quia inter filiationem & spirationem non datur relativa oppositio: Ergo non obstante secundo, relationes Spiriti & Genitri realiter identificabuntur, si ab illis auferatur relativa oppositio.

§. V.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primo: Tota ratio quare Spiritus sanctus non distinguatur a Filio, si non procederet ab illo, est quia illi relative non opponeretur: Sed haec ratio nulla est: Ergo praecipuum nostrae sententiae fundamentum corrumpit. Major patet ex dictis §. precedenti. Minor autem probatur: Tum quia filiatione realiter distinguitur Filium a Spiritu sancto, & tamen illi relative non opponitur, cum non referat Filium ad illum, sed ad Patrem: Tum etiam, quia si per impossibile Spiritus sanctus non procederet a Patre, sed a solo Filio, adhuc realiter distingueretur a Patre, & tamen relative non opponeretur: Tum denique quia est Spiritus sanctus relative non opponeretur Filio, processio tamen unius differret ab origine alterius; una enim esset per intellectum, & altera per voluntatem; & una haberet rationem generationis, non vero altera: Ergo quavis Spiritus sanctus non opponeretur relative Filio, processio Spiritus sancti c. r. sic ait: Habere utique a Patre esse Filium ac Spiritus sanctus, sed diversimode, quia alter respondendo, alter procedendo, ut alii per hoc sunt ad invicem. Ex postea subdit: Nam si per aliud non essent plures Filii & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi.

Respondet, concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius primam probationem, respondet Suarez, filiationem, est non referat Filium ad Spiritum sanctum, esse tamen formalem terminum relationis Spiriti, & hoc sufficere ut illi relative opponatur. Dupliciter tamen haec solutio; Nam licet verum sit sufficere ad realem distinctioem, terminare formaliter relationem oppositam, falsum tamen est, filiationem esse rationem formalem terminandi relationem Spiriti: ut enim docent nostri Thomistae in Logica, eadem forma quae est ratio referendi, est ratio terminandi relationem oppositam; quocirca ibi dicunt relationes formaliter ad correlativa terminari: At filiatione non est ratio referendi Filium ad Spiritum sanctum: Ergo nec ratio terminandi relationem Spiriti, quia Spiritus sanctus refertur ad Filium. Haec ergo solutio pretermittitur.

Respondet ad primam illam probationem, quod licet Filius per filiationem non opponatur relative formaliter Spiritui sancto, illi tamen radicaliter opponitur, eo quod filiatione fit radix relationis Spiratoris, quia Filius formaliter refertur ad Spiritum sanctum, equae relative opponitur.

Neque obstat si dicatur, quod essentia divina est radix paternitatis, nec tamen propterea opponitur radicaliter filiationi, cui formaliter opponitur paternitas: Ergo similitudine filiatione non opponitur radicaliter Spiratori passivae, seu Spiritui sancto; ex eo quod fit radix spirationis activae, seu relationis Spiratoris, quia Filius relative formaliter Spiritui sancto opponitur. Non obstat, inquam: Respondetur enim, negando consequentiam & paritatem:

Ratio discriminis est, quia essentia est aliquid absolute, & radix communis omnium relationum, non peculiaris altius; & ideo nulli ex illis opponitur, nec ab aliqua illarum distinguitur: Filiatio vero non est aliquid absolute, sed relativum; & ita est radix Spirationis activae, seu relationis Spiratoris, ut cum illa adaequatur, neque sit radix alterius.

Ad secundam probationem dicendum est, quod si Spiritus sanctus procederet a solo Filio, adhuc opponeretur relative mediate Patri, eo quod procederet mediate ab illo, quia Pater daret Filio virtutem qua spiraret Spiritum sanctum, & ita mediate produceret Spiritum sanctum; & hoc sufficeret ad distinguendum Patrem a Spiritu sancto. In casu autem quo Spiritus sanctus non procederet a Filio, neque mediate neque immediate ipsi relative opponeretur.

Dices: Essentia Divina dat etiam Patri paternitatem, & tamen non opponitur Filio mediate: Ergo ex hoc quod Pater det Filio spirationem activam, non sequitur Patrem opponi mediate Spiritui sancto.

Respondeo quod essentia divina dat paternitatem solum per virtutalem emanationem, non autem per realem processioem, & emanationem cum Patre: Pater autem dat Filio spirationem activam per realem processioem, & oppositionem cum illo, atque adeo Pater dat talem virtutem Filio, cum mediata oppositione cum Spiritu sancto, non vero essentia Patri paternitatem, cum oppositione mediata cum filiatione; quia oppositio mediata cum uno, debet supponere immediatam cum alio, ratione cujus mediate dicatur opponi alteri.

Ad tertiam probationem Minor dicendum est, quod si Filius & Spiritus sanctus relative non opponeretur, processiones quibus producerentur non essent realiter inter se distinctae: quia ut docet D. Thomas supra q. 27. art. 3. ad 3. processio per voluntatem differt a processione per intellectum, ratione ordinis originis quem dicit ad illam: unde ordine originis sublatum, non esset duplex sed una processio realiter, cum virtuali tantum distinctioe: sicut voluntas in Deo virtualiter solum differt ab intellectu, & est posterior illo, origine tantum virtuali. Neque obstat quod una esset generatio, non vero altera: hoc enim solum arguit distinctioem specificam virtutalem inter illas, non vero formalem.

Dices: Processio per voluntatem divinam essentialiter petit pro termino impulsivum seu amorem personaliter subsistentem: Sed amor personaliter subsistens, realiter & personaliter distinguitur a Filio: Ergo processio per voluntatem est sufficiens ratio distinguendi Spiritum sanctum a Filio.

Respondeo distinguendo Majorem: Processio per voluntatem, ut dicit ordinem ad principium quod, concedo Majorem: ut dicit solum ordinem ad principium quod, nego Majorem; & concessa Minori, distinguendum est Consequens distinctioem Majoris.

Explicatur: Processio per voluntatem considerari potest penes ordinem ad principium formale, scilicet voluntatem, & penes ordinem ad principium quod, scilicet Patrem & Filium, ut in eadem virtute spirativa communicant. Ex primo ordine solum petit pro termino impulsivum, subsistentem subsistentia absoluta; ex secundo petit impulsivum personaliter subsistentem in natura divina. Cum ergo in praedicta hypothesei non maneat processio per voluntatem cum ordine ad principium quod adaequatum, scilicet Patrem & Filium, sed solum cum ordine ad voluntatem ut in Patre, consequens est quod non maneat cum exigentia termini formaliter constitutivae personam, sed adventivae personae constitutivae.

Ad testimonium Anselmi, quod aperte videtur favere adversae sententiae, respondent aliqui, illum in hujus difficultatis resolutione fuisse valde anxium & dubium. Cui solutioni videtur acquiescere ipsemet Scotus ubi supra, dicens: Nolo multum circa ejus intentionem immorari. Sed melius responderetur cum D. Thoma quaestione 10. de potent. art. 5. ad 2. Anselmum non ex propria sententia allegata verba protulisse, sed disparate verba, supposita sententia Graecorum, distinguantiam realiter Spiritum sanctum a Filio, per hoc solum quod Filius a Patre per intellectum, & veram generationem productur, Spiritus vero sanctus per voluntatem, & non nascendo, sed procedendo. Quod autem haec interpretatio legitima sit, inde colligitur, quod alias Anselmus sibi esset aperte contrarius: nam in illo libro de processione Spiritus sancti, quem adversus Graecos composuit, saepe repetit & inculcat vulgatum illud Theologorum axioma: In Divinis omnia sunt idem, ubi relationis oppositio non obviat.

Obijciens tertio: In data hypothesei quod Spiritus sanctus non procedat a Filio, maneret in Filio ratio formalis, quae illum de facto realiter distinguit a Spiritu sancto: Ergo maneret Filius realiter a Spiritu sancto distinctus, & e contra Consequencia patet: manente enim ratione formalis effectus etiam formalis perseverat. Antecedens vero probatur: Ratio formalis distinguendi modo Filium a Spiritu sancto, est filiatione: At in illo casu filiatione maneret in Filio: Ergo & ratio formalis quae illum distinguit a Spiritu

Spiritu sancto. Major probatur: Id est ratio formalis distinguendi, quod est formalis ratio constituendi: At ratio formalis constituendi Filium in ratione personae, est filio: Ergo etiam filio est ratio formalis illum distinguendi a Spiritu sancto.

51 Hanc argumentum, quod est principium aduersae sententiae fundamentum, respondet Cajetanus hic art. 2. negando filiationem esse rationem formalem distinguendi realiter Filium a Spiritu sancto. Ad probationem autem desumptam ex eo quod idem est constitutum & distinctum, dicit id esse verum in formis absolutis, sed in relativis: nam sicut esse relationis est in ordine ad correlativum, ita distinctio illius solum est a correlativo, unde quia filio non refert Filium ad Spiritum sanctum, non distinguit realiter ipsum a Spiritu sancto, sed ratio formalis huius distinctionis est relatio Spiratoris.

52 Hanc solutionem & doctrinam Cajetani impugnant communiter Recentiores, ex eo quod relatio creata non solum a correlativo, sed etiam ab illis distinguitur realiter, verbi gratia relatio similitudinis qua unum album ad aliud refertur, non solum ab extremo simili distinguitur, & distinguit realiter suum subiectum, sed etiam ab aliis, sive relativis, sive absolutis: Ergo falsum est quod Cajetanus asserit, relationem solum a suo correlativo distinguere aut distingui realiter.

53 Verum hi Auctores subtilem Cajetani mentem non perciperunt: ille enim non negat relationem creatam distingui realiter ab aliis ad qua non refertur: Sed duplicem distinctionem in relatione considerat, unam ipsi & aliis predicamentis communem, alteram ipsi propriam & peculiarem. Prima non est tantum respectu correlativi, bene tamen secunda: quia distinctio relationis peculiaris, debet esse relativa, ac prout ad correlativum solum petit terminari. Utraque haec distinctio in relatione creata potest esse realis: quia illi ubi limitati non debent identitas cum his ad qua non refertur, & ad qua disparare se habet. In relatione vero divina illa solum distinctio qua peculiaris est generis relativo, & qua ex oppositione relativa provenit, realis esse potest: quia (ut supra dicebamus) in relationibus & attributis divinis (ratione infinitatis & illuminationis qua gaudent) distinctio ex oppositione disparata proveniens locum habere non potest.

54 Ceterum quavis haec Cajetani solutio subtilis sit & acuta, & ab illis Auctoribus inefficaciter impugnetur, displicet tamen, nisi iuxta infra dicenda intelligatur & explicetur: & rejicitur. Primo ex D. Thoma q. 10. de potentia art. 5. ubi cum sibi in argumento 13. objecisset, quod filio est proprietas realiter distinguens Filium a processione, cui tamen relative non opponitur: non respondet negando filiationem distinguere Filium realiter a Spiritu sancto, sed ait, quod licet filio non opponatur relative processionem, procedens tamen relative opponitur Filio. At si Filius non distingueretur a Spiritu sancto per filiationem, sed per spirationem, facilius argumentum solveret, negando Antecedens: Ergo doctrina ex Cajetano relata ad mentem D. Thome non est.

Secundo, distinctio Filii a Spiritu sancto personalis est: Ergo a proprietate personali ut a ratione formali praesertim debet: At spiratio activa proprietatis personalis non est, cum communis sit Patri & Filio: Ergo non per illam formaliter, sed per filiationem distinguitur realiter Filius a Spiritu sancto.

Tertio, filio ratione sui est incommunicabilis realiter Spiritui sancto; alias ratione sui personalitas non esset: Ergo ratione sui Filium realiter a Spiritu sancto distinguit. Hac ergo solutione praemissa,

55 Ad argumentum respondeo negando Antecedens. Ad cuius probationem, distinguo Majorem: Ratio formalis distinguens Filium a Spiritu sancto, est filio, sub expresso filiationis conceptu quo refertur ad Patrem, nego Majorem. Prout est radix spirationis, concedo Majorem, & distinguo Minorem: maneret in praedicto casu filio, sub primo conceptu, concedo Minorem: sub secundo, nego Minorem, & Consequentiam.

56 Dices: Esse radicem spirationis, est quid commune Patri & Filio: Ergo filio non distinguitur personaliter Filium a Spiritu sancto, sub conceptu radicis spirationis, sed sub expresso filiationis conceptu. Consequentia videtur bona: nam id quod distinguit personaliter Filium a Spiritu sancto, debet esse Filio proprium & peculiare.

57 Respondeo quod licet conceptus radicis ut sic communis sit Patri & Filio, talis tamen modus radicis peculiaris est filio: & sub isto personaliter distinguitur Filium a Spiritu sancto.

Iuxta hanc solutionem, Cajetani doctrina supra impugnata, potest verum sensum recipere: unde ibidem ex industria addidimus (nisi iuxta infra dicenda intelligatur) nam si quando Cajetanus negat filiationem esse rationem formalem distinguendi realiter Filium a Spiritu sancto, ita intelligat de filiatione sub expresso filiationis conceptu, quo refertur ad Patrem, verum dicit: scus autem, si id neget de filiatione, prout est radix spirationis. Simi-

liter cum addit, quod ratio formalis huius distinctionis est relatio Spiratoris, hoc verum est de relatione Spiratoris, ut radicaliter contenta in filiatione, non autem de relatione Spiratoris in se formaliter considerata. Cum enim (ut supra dicebamus) distinctio Filii a Spiritu sancto personalis sit a proprietate personali, ut a ratione formali, debet procedere.

58 Obijciens tertio: Dato quod Spiritus sanctus a Verbo tamquam a principio activo non procederet, si tamen Verbum esset conditio ad illius productionem necessaria, realiter distingueretur ab illo: Ergo in hypothese facta in nostra disputatione, realis inter utramque perseveraret distinctio. Consequentia patet. Antecedens probatur. Amor creatus distinguatur realiter a Verbo, & tamen iuxta probabiliter sententiam, non dependet ab illo ut a principio effectivo, sed solum ut a conditione ad eius productionem necessaria requisita; Ergo similiter, est Spiritus sanctus a Verbo tamquam a principio activo non procederet, si tamen Verbum esset conditio ad eius productionem necessaria, ab illo distingueretur realiter.

59 Respondeo negando Antecedens: Ad cuius probationem, Ratio determinans est, quia in creatis, ob limitationem, non solum producent ut quod, sed etiam principium quo, & conditio, seu complementum principii, petunt realiter a termino producto distingui. In Divinis autem, ob infinitatem, sicut principium quo non distinguitur realiter a termino, ita nec id quod solum esset conditio principii, peteret realiter a termino producto distingui.

60 Dices: Paternitas non est principium productivum Filii, sed tantum conditio vel complementum principii productivi, & tamen realiter a Filio distinguitur: Ergo non solum in creatis, sed etiam in Divinis, id quod se habet per modum conditionis, aut complementi principii, petit realiter a termino producto distingui.

61 Sed nego Consequentiam. Paternitas enim non habet distingui realiter a Filio, ex eo quod se habet per modum conditionis, aut complementi principii productivi illius: sed quia est ipsa ratio referendi Patrem ad Filium, & quia concretum illius est principium producent ut quod.

ARTICULUS II.

An Spiritus sanctus pro principio sui productivo duas personas simul spirantes per se possit?

Negat Scotus & ejus Discipuli in 1. dist. 12. quest. 1. 62 Affirmat D. Thomas locis infra allegandis & alii Theologi communiter. Unde fit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

63 Dico breviter, Spiritum sanctum pro principio sui productivo per se duas personas exigere, Patrem scilicet & Filium.

64 Probatur primo ex D. Thoma hic art. 4. ad 1. ubi formaliter docet, quod si attendatur virtus spirativa, Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, in quantum sunt unum in illa: si vero considerentur supposita spirationis, sic Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, ut sunt plures; procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum. Idem docet q. 10. de potentia art. 2. ad 15. his verbis: Cum Spiritus sanctus sit amor unitivus & nexus duorum, oportet quod a duobus spiraret. Et in 1. dist. 11. q. 1. art. 2. & art. 4. ad 2. ponit distinctionem inter creationem, & processionem Spiritus sancti, in hoc quod creatio est actus trium personarum, non secundum quod distinguuntur, sed secundum quod ununtur in essentia; quia etiam per intellectum remota distinctione personarum adhuc remanet creatio; sed spiratio est actio conveniens pluribus suppositis secundum quod distinguuntur.

65 Probatur etiam conclusio ratione: Spiritus sanctus ex vi suae proprietatis personalis quam modo habet, distinguitur realiter a Patre & Filio: Ergo per se, & ex vi ejusdem proprietatis personalis, potest realiter ab illis procedere. Antecedens patet: quia non distinguitur ab illis per accidens, sed per se, quae tamen non aliunde quam ex vi suae proprietatis personalis. Consequentia vero probatur, quia realis distinctio in Divinis, non est nisi per oppositionem relativam, nec oppositio relativa, nisi ratio originis unius personae ab alia, ut patet ex dictis articulo precedenti.

66 Deinde, Amor per se petit procedere, non ab ipsa natura immediata, ut a principio quod, defectu oppositionis relativa, sed ab aliqua persona: Constat autem ex dictis ibidem, quod per se petit procedere a persona Verbi; nec potest negari quia etiam patet per se procedere a Patre, cum ille sit primum principium spirativum ut quod; & cum hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit a Filio, ipse Filius a Patre habeat, a quo eternaliter genitus est.

est, ut in Concilio Florentino dicitur: Superest igitur Spiritum sanctum per se postulare ad sui productionem, duas personas spirantes, scilicet Patrem & Filium.

67 Tertio id efficaciter suadet ratio, quam D. Thomas locis allegatis insinuat: Spiritus sanctus ex sua proprietate personali habet quod sit mutui ac reciproci amoris terminus: Sed amor non potest esse nec intelligi mutui ac reciproci, sine pluralitate suppositorum: Ergo Spiritus sanctus ex sua proprietate personali pro principio sui productivo pluralitatem suppositorum exposcit. Minor patet. Major autem probatur, Spiritus sanctus per se petit ex perfectissimo & fecundissimo amore procedere: Sed huiusmodi amor est amor amicitiae mutui ac reciproci; ille enim multo perfectior est amore concupiscentiae, vel simplicis benevolentiae: Ergo Spiritus sanctus ex sua proprietate personali exigit ex mutuo ac reciproco amore procedere.

68 Confirmatur: Spiritus sanctus ex vi suae processionis habet, quod sit nexus individuus Patris & Filii, ac suavissimum osculum utriusque, ut passim docent SS. Patres, praesertim D. Bernardus serm. 3. in Cant. cujus verba infra referemus: Ad hoc fine amore mutuo, & suppositorum pluralitate intelligi nequeunt, ut patet: Ergo Spiritus sanctus pro principio sui productivo, per se duas personas exigit.

§. II.

Solentur objectiones.

69 Obijciunt primo Scotistae: Quando in uno supposito est adequata virtus ad producendum aliquem terminum, per accidens ad productionem illius se habet suppositorum pluralitas: Sed in una solum persona divina, v.g. in Patre, est adequata vis spirativa, seu productiva Spiritus sancti: Ergo ad eius productionem pluralitas suppositorum per se non requiritur, sed per accidens se habet.

70 Confirmatur, & magis illustratur haec ratio. Pluralitas personarum per se non concurrat ad productionem creaturarum, ut disp. 7. art. 1. docuimus: At id non alia ratione, nisi quia virtus productiva creaturarum est adequata in qualibet persona, ratione Deitatis: Ergo si vis spirativa ratione Deitatis residet adequate in Patre, dualitas personarum ad illius productionem per se non exigitur.

71 Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: si in illo supposito sit adequata virtus, & etiam omnis conditio a termino postulata, concedo Majorem: si aliqua conditio deficiat, nego Majorem, & concessa Minor, nego Consequentiam: nam licet in Patre sit adequata virtus, non tamen est in illo omnis conditio a termino postulata, ut constat ex dictis. Unde ad confirmationem, concessa Majori, nego Minorem: ideo enim pluralitas personarum per se non concurrat ad productionem creaturarum, quia in qualibet persona residet vis productiva, omnique conditio a creaturis postulata.

72 Dices, Si Patri desit aliqua conditio ad productionem Spiritus sancti requisita, non erit perfectum illius principium: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

73 Sed negatur sequela: Cum enim principii quod perfectio sumatur ex principio quo, & nihil spectans ad principium quo desit Patri aut Filio; licet cultibet illorum seorsim aliqua desit conditio, potest tamen quilibet dici perfectum Spiritus sancti principium.

74 Obijciunt secundo: Si per impossibile Pater sine Filio maneret, posset spirare, & Spiritum sanctum producere: Tum quia id suppositum articulo precedentis: Tum etiam quia adhuc Pater haberet voluntatem secundam: Ergo Spiritus sanctus non petit per se a Patre & Filio procedere. Consequentia patet: quia non alia ratione disp. 7. art. 1. probavimus; Trinitatem personarum non concurrere per se ad creaturarum productionem; nisi quia, si per impossibile Deus esset Unus & non Trinus, adhuc remaneret creatura.

75 Respondeo distinguendo Antecedens: posset producere Spiritum sanctum, qui esset ejusdem rationis adequate cum Spiritu sancto qui de facto datur, nego Antecedens: qui non esset adequate ejusdem rationis, transeat Antecedens, & distinguo Consequentiam: Ergo procedere a duobus personis non est de ratione Spiritus sancti, adequate considerati nego: inadequate considerati, concedo. Solutio patet ex supra dictis: si enim Spiritus sanctus a solo Patre procederet, careret aliqua proprietate personali quam habet ex vi suae processionis, scilicet esse terminum mutui amoris, & suavissimum duarum personarum nexum & osculum.

76 In ista, in data hypothese Spiritus sanctus maneret terminus mutui amoris: Ergo esset ejusdem rationis adaequate cum Spiritu sancto qui de facto datur. Antecedens probatur: quia procederet ex amore quo Pater & Spiritus sanctus se mutuo diligenter: Ergo procederet ut terminus mutui amoris.

77 Respondeo negando Antecedens. Ad probationem, distinguo Antecedens: procederet ex amore quo Pater & Filius, concedo, Tom. II.

Spiritus sanctus se mutuo diligenter, quatenus esset Patris subjective, & Spiritus sancti objective, concedo Antecedens: quatenus esset utriusque subjective, seu principiative, nego Antecedens, & Consequentiam. Amor enim solum intelligitur mutuo adequate, quando est subjective seu principiative a duobus suppositis se diligenteribus, non vero quando est unius principiative, & objective solum alterius.

78 Obijciunt tertio: Ratio mutui nullam addit perfectionem ad amorem divinum: Ergo ex eo quod Spiritus sanctus petit procedere ex amore perfectissimo, non refertur, postulare per se procedere ex amore mutuo, quo se diligunt Pater & Filius. Antecedens probatur: Nam ratio mutui solum addit vel relationem rationis, vel relationes reales personales: At relatio rationis perfectio non est; relationes etiam personales perfectionem essentiae non addunt, ut disp. 3. art. 5. vidimus: Ergo ratio mutui nihil addit perfectionis ad amorem divinum essentialem.

79 Respondeo primo, quod licet ratio mutui non addat perfectionem, addit tamen modum perfectionis amoris essentiali, & illius complementum: & hoc sufficit, ut Spiritus sanctus per se procedere petat ex amore mutuo; quia procedere debet ex amore essentiali, ut completo, & terminato, & quasi affecto modo sibi debito. Sicut in Tract. de Beatitudine docent nostri Thomistae, quod licet relationes divinae perfectionem ad essentiam non addant, non tamen foret beatus ille qui essentiam divinam videret sine personis, dato per impossibile quod ita attingeret: quia de ratione beatitudinis est, non solum perfectiones divinas videre, sed etiam illarum modos, & ad illas prout sunt in se terminari.

80 Respondeo secundo cum Salmanticensibus hic disp. 15. dubio 5. quod licet relationes & ratio mutui non addant ad amorem essentialem perfectionem entitative, addunt tamen explicative, & argutive: quia si Deo non convenirent, ex hoc argueretur in illo alicujus perfectionis defectus. Unde cum Spiritus sanctus petit procedere ex amore essentiali, ut explicante omnem perfectionem, petit procedere ab illo, ut terminato & modificato relationibus paternitatis, & filiationis, & per consequens ex amore mutuo Patris & Filii.

ARTICULUS III.

An Pater & Filius proprii sint, dicanturque unum Spiritus Sancti principium?

81 Ratio dubitandi est, quia licet in Patre & Filio sit una virtus spirativa, sunt tamen duo supposita spirantia, & per se ad spirandum requisita: Ergo vel dicendi sunt duo principia, & non unum Spiritus sancti principium, vel unum & duo. Consequentia probatur: Ad actionem enim non solum concurrat principium quo, sed etiam suppositum agens ut quod; Ergo si Pater & Filius sint plura supposita spirantia ut quod, dici debent plura principia, & non unum, vel ad minus unum & plura; primum, ratione unitatis virtutis; secundum, ratione pluralitatis suppositorum.

82 Hoc argumentum convicti Durandus & Gregorius docere Patrem & Filium duo Spiritus sancti principia posse dici: Gabriel vero & Okam unum, & tameraria.

83 Sed haec sententia, ut erronea vel temeraria, communiter rejicitur, praesertim ob definitionem Concilii Lugdunensis, relata in cap. sedeli de sum. Trinit. & fide Cathol. in sexto, ubi damnatur illi, qui temperario ausu asserere presumpserint, quod Spiritus sanctus a Patre, & Filio, tamquam ex duobus principiis, & non tamquam ex uno procedat. Item in Florentino in litteris sanctae unionis, duo ab omnibus Christianis tamquam de fide credenda sancuntur: primum quod Spiritus sanctus a Patre & Filio procedit: secundum, quod ex utroque, tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedit. Ubi particula illa, tamquam, non est diminutiva, ut dicit Gregorius, sed expressiva, seu explicativa: sicut cum Joan. 1. dicitur: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.

84 Eadem veritas suaderi potest duplici ratione D. Thome hic art. 4. Prima est, Pater & Filius in omnibus sunt unum, in quibus non obviat relationis oppositio: At in hoc quod est esse Spiritus sancti principium, non opponitur relative. Ergo sunt unum principium.

85 Secunda ratio sumitur ex differentia, qua inter nomen substantivum & adjectivum reperitur: primum enim, quia formam per modum se stantis significat, ad sui pluralitatem petit pluralitatem formae significatae; adjectivum vero, quia significat formam ut secundum non afferentem proprium suppositum, sed ut alteri adjacentem, numerum non a forma, sed a subjectis accipit: Ad hoc nomen, principium Spiritus sancti, substantivum est, forma significata (virtus scilicet spirativa) non purificatur in Patre & Filio, sed unica in illis est, sicut & unica essentia ac voluntas: Ergo Pater & Filius sunt, & dici debent, non duo principia Spiritus sancti, sed cum proprietate unum.

K

Ad

- 80 Ad rationem vero dubitandi Molina hic disp. a Nazarius contrav. a. & Becanus tract. de Trinit. cap. 6. respondent principium spiritivum non supponere immediate pro Patre & Filio, sed pro Spiratore ut quod, utriusque communi, & ratione ab illis distincto, consistente in relatione spirationis, subsistente ut quod in natura & voluntate divina. Unde sicut non obstante quod tres persone divine personalitate distinguantur, dicuntur unus Deus, & unus Creator: eo quod hic Deus ut subsistens, unus sit, & illis communis: ita Pater & Filius sunt unum Spiritus sancti principium, quia in una ratione Spiratoris subsistunt ut quod conveniunt.
- 81 Hec tamen solutio & doctrina displicet communiter nostris Thomistis. Et rejicitur primo; quia D. Thomas hic art. 4. ut salvet Patrem & Filium esse unum principium spiritivum, non recurrit ad unum subsistens, distinctum ratione a Patre & Filio, sed ad unam virtutem Spirativam, ut conflat ex infra dicendis.
- 82 Secundo, quia idem S. Doctor ibidem in respons. ad 4. docet in hac propositione, *Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti*, predicatum non habere determinatam suppositionem: At si daretur hic Spirator communis, subsistens ut quod, pro quo ly principium supponeret, predicatum determinatam suppositionem gauderet; sicut predicatum hujus propositionis, *Tres personae sunt hic Deus*, determinatam supponit, quia pro priori ad relationes Deitas subsistit ut quod: Ergo D. Thomas non admittit unum subsistens distinctum ratione a Patre & Filio.
- 83 Tertio, Idem Doctor Angelicus in 1. distinct. 11. qu. 1. art. 4. ad 2. inter creationem & spirationem hoc discrimen constituit, quod illa est actio naturae, ista vero personalis: At prima, quia non est notionalis seu personalis, perit pro principio subsistens ut quod, toti Trinitati commune: Ergo quia spiratio est notionalis ac personalis, perit a persona solum provenire: & consequenter subsistens commune Patri & Filio non poterit esse principium spirans ut quod.
- 84 Quarto, Spiratio activa non affert secum propriam subsistentiam: Ergo principium spiritivum non est unum subsistens distinctum virtualiter a Patre & Filio. Consequentia patet, Antecedens probatur. Subsistentia dupliciter accipitur, vel pro perfectate opposita dependentiae ab alio ut sustentante, vel pro perfectate opposita communicacioni, ut supra disp. 5. art. 1. ostensum est: At relatio spirationis ratione sui formalitatis non est subsistentia in priori acceptio; cum (ut ibidem demonstravimus) alie relationes ratione sui subsistentia sic accepta non gaudent: sed solum ratione essentie quae in illis includitur, necetiam in secunda acceptioe, alias esset personalitas: Ergo &c.
- 85 Denique, Pater in Divinis est primus spirandi principium: At si daretur subsistens commune spirans ut quod, virtualiter a Patre & Filio distinctum, Pater non esset primus spirandi principium, sed potius illud commune subsistens: Ergo &c. Hac ergo solutioe rejecta,
- 86 Ad rationem dubitandi respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam. Ad cuius probationem, nego etiam Consequentiam, ob rationem traditam, probando nostram sententiam; quia scilicet principium, nomen substantivum est, & ideo ad sui pluralitatem multiplicatione forme desiderat. Quia ergo, est duo sint supposita, est tamen una virtus spirativa, de formalit significatione nomine principii spirativi, hinc fit quod Pater & Filius non dicantur duo principia spirativa, propter suppositorum pluralitatem; sed unum, propter unitatem spirativae virtutis. Sicut tres persone SS. Trinitatis appellari non possunt plures Dii: quia licet sint plura supposita, forma tamen significata hoc nomine, *Deus*, scilicet Deitas, seu natura divina, una est in illis & immultiplicata.
- 87 Dices, si plures persona divine eandem humanitatem assumerent, dicerentur plures homines, ut docet Cajetanus 3. parte qu. 3. art. 6. & 7. Ergo licet unica sit virtus spirativa in Patre & Filio, poterunt tamen, propter suppositorum pluralitatem, plura principia appellari.
- 88 Respondeo primo negando Antecedens: haec enim sententia Cajetani rejicitur communiter a Thomistis in Tract. de Incarnatione ubi docet quod plures persone divinae unam naturam assumerent, vel una persona plures naturas, non essent plures homines, sed unus; de quo ibidem disput. 8. art. 5. dicemus.
- 89 Respondeo secundo, dato Antecedente, negando Consequentiam & paritatem. Nam qui sententiam Cajetani tenent, fundantur in eo quod iste terminus, *homo*, dicitur de divinis personis, haberet proprietates aliquas termini adjectivi; quia humanitas eis adveniret, absque identitate cum illis: principium autem de Patre & Filio, & Deus de tribus personis, substantivae omnino dicuntur, & ideo dispar est ratio.
- 90 Dices rursus: Quando dicitur quod Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti, non potest assignari aliquid, pro quo supponat ly unum principium: Ergo vel non sunt unum principium, vel saltem admitti debet Spirator communis subsistens, pro quo supponat, ut do-

et Molina & Nazarius. Consequentia patet, Antecedens probatur. Ly unum principium non supponit pro Patre, alias falso de Filio diceretur, nec pro Filio, alias non posset vere affirmari de Patre; nec pro utroque simul, alias de nullo illorum seorsim posset enuntiar: Ergo nihil pro quo supponat assignari potest; praefertim, si huic Spiratori communis subsistentia denegetur.

Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem dicendum est, in hac propositione: *Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti*, ly unum principium, supponere pro Patre & Filio copulative, seu collective; ex quo non sequitur, non posse vere affirmari de Patre & Filio seorsim; nam quando de illis fit praedicatum, non supponit collective pro utroque, sed pro subsistente in virtute spirativa, communi utrique communitate reali ex parte virtutis, & communitate solum per rationem ex parte subsistentiae non vero reali, ut existant Molina & Nazarius. Quod recte declarat exemplo hujus propositionis: *Pater & mater sunt causa filii*; in qua praedicatum pro utroque parente supponit, quia uterque ad generationem filii requiritur. In his tamen propositionibus: *pater est causa filii; mater est causa filii*: praedicatum non supponit collective pro utroque, sed pro principio filii abstrahente ab activo & passivo.

Ex quo intelligit, quod dum S. Thom. hic art. 4. ad 99. 4. dicit praedicatum hujus propositionis: *Pater & Filius sunt unum principium Spiritus sancti*; non habere suppositionem determinatam, sed confusam pro duabus personis; non sumit ibi suppositionem confusam, in rigore dialectico, sicut quando dicitur, *alter vultus est necessarius ad videndum*; sed per suppositionem confusam, intelligit copulativam, seu collectivam; & solum intendit docere, quod sumendo principium Spiritus sancti adequate, ut dicit virtutem spirativam, & omnem conditionem ad spirandum necessariam, non supponit determinate pro Patre, nec determinate pro Filio, sed pro Patre & Filio, per modum cujusdam collectionis. Sicut in creatis quando dicitur, quod pater & mater sunt causa filii, si ly *causa*, sumatur adequate pro principio totali & adequate generationis, nec pro solo patre, nec pro sola matre supponit, sed pro utroque parente, per modum cujusdam collectionis. Ita enim se explicat S. Doct. ibidem in resp. ad 6. ubi ait, quod ly *principium*, supponit confuso & indistincte, pro duabus personis simul.

Ex dictis colligit, quod licet Pater & Filius non possint dici duo Spiratores, possunt tamen duo Spirantes appellari: quia ut ait S. Thomas ubi supra in resp. ad 7. *Spirans, nomen adjectivum est, Spirator vero, substantivum: unde Pater & Filius sunt duo Spirantes, propter pluralitatem suppositorum; non autem duo Spiratores, propter unitatem spirationem*. Et in hoc sensu ibidem docet intelligendum esse Hilarium, cum dixit 1. de Trinit. *Spiritus sanctum esse a Patre & Filio auctoribus*: ibi enim (inquit) ponitur substantivum pro adjectivo.

Ad complementum hujus disputationis, quaerens primo, 94. quam relationem potentia spirativa de connotato importet, an relationem Spirationis, an vero relationes Paternitatis & Filiationis?

Respondeo illam de connotato importare relationem Spiratoris, paternitatem vero & filiationem esse solum conditiones requisitas in principio Spirante ut quod. Ita colligitur ex D. Thom. hic art. 4. ad 1. ubi ait: *Si accendatur virtus spirativa, Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio, in quantum sunt unum in virtute spirativa, quae quodammodo significat naturam cum proprietate*. Ut autem instauraret, quamnam esset illa proprietate, subjungit: *Neque est inconveniens unam proprietatem esse in duobus suppositis, in quibus est una natura*. Quibus verbis manifeste declarat, quod proprietate illa, quam importat virtus spirativa simul cum natura, est relatio Spirationis activa; quia illa sola est communis Patri & Filio.

Ratio etiam id fualet. Id enim est connotatum a principio pro productivo, quo principium quod respicit terminum productum; cum non possit principium intelligi sine ordine ad terminum: At Pater & Filius non respiciunt Spiritum sanctum per paternitatem & filiationem, sed per relationem Spiratoris: Ergo non paternitas & filio, sed relatio Spiratoris connotatur a principio quo spirativo.

Praeterea, si potentia spirativa paternitatem & filiationem de connotato importaret, non esset communis Patri & Filio: quia nulli est illis adequatum illius connotatum competeret; nam nec Patri filio, nec Filio paternitas competit.

Dices: Spiritus sanctus per se procedit ex amore mutuo, ut articulo precedenti ostendimus: Sed amor non potest esse mutus, nisi paternitas & filio in principio spirativo intelligantur: Ergo paternitatem & filiationem de connotato importat.

Respondeo distinguendo Minorem: nisi in principio spirativo intelligantur, in principio spirativo ut quod, concedo Minorem: in principio spirativo ut quo, nego Minorem, & Consequentiam. Ut enim amor sit & intelligatur mutus

marus sufficit quod paternitas & filio sit conditiones requisitae in principio spirante ut quod, non autem requiritur quod sit connotatum seu complementum potentiae spirativae, seu principii spirativi ut quod.

97 Dices rursus: Relatio solum ponitur ex parte principii, ut aliquo modo realiter distinguatur a termino: Sed per paternitatem & filiationem principium spiritivum sufficenter a Spiritu sancto distinguitur: Ergo per illa sufficienter completur in ratione principii.

Respondeo primo negando Majorem: nam etiam relatio ponitur ex parte principii, ut terminum sui ratione producti respiciat, quod per paternitatem & filiationem principium spiritivum habere non potest.

Secundo respondeo negando Minorem: licet enim per paternitatem & filiationem Pater & Filius reslter a Spiritu sancto distinguantur, illa tamen distinctio est solum radicalis, & veluti inchoativa; quia non provenit a paternitate & filiatione, nisi quatenus radicaliter continent Spirationem; unde ista distinctio requiritur, ut formaliter & complete a Spiritu sancto distinguatur.

98 Quaerens secundo, ex quorum amore Spiritus sanctus procedat?

Hujus quaestio solutio facile haberi potest ex dictis supra de processione Verbi: unde breviter respondetur, Spiritum sanctum procedere ex amore omnium quae sunt formaliter in Deo, id est essentie, attributorum, & personarum; non vero ex amore creaturarum, sive possibilem, sive existentium, sive futurarum, quae in Deo emittentur tantum continentur.

Prima pars hujus responsionis patet, nam Spiritus sanctus procedit ex amore perfectissimo: Sed amor perfectissimus, est amor omnium quae sunt formaliter in Deo: Ergo Spiritus sanctus procedit ex amore omnium quae sunt formaliter in Deo, hoc est essentie, attributorum, & personarum.

Secunda vero probatur: Creaturae possibilem non sunt diligibiles a Deo, vel eo quod in statu mere possibilitatis omni bonitate careant, ut aliquid existant: vel quia licet gaudeant bonitate transcendentali, quae dicit integritatem in proprio ordine, careant tamen bonitate formali, quae consistit in convenientia respectu alterius, ut alii probabilius sentiunt: de quo diximus in Tractatu de voluntate Dei disp. 2. art. 4. §. 3.

Tertia etiam pars ostenditur: Processio Spiritus sancti est naturalis & necessaria: Sed amor creaturarum, sive existentium, sive futurarum, est liber: Ergo non potest per se concurrere ad processionem Spiritus sancti, sed ad illam mere per accidens & concomitantem se habet, sicut diximus de scientia futurorum contingentium in ordine ad productionem Verbi. Unde quando S. Thomas hic art. 4. ad 3. ait: *Sicut Pater dicit se, & omnem creaturam, Verbo quod genuit, ita diligit se, & omnem creaturam, Spiritus sancto: solum intendit, quod sicut cognitio productiva Verbi, concomitantem se extendit ad creaturas existentes & futuras; ita amor quo Spiritus sanctus producitur, concomitantem ad illas terminatur*. Quod etiam significare voluit D. Bernardus, cum in Tractatu de vita solitaria docuit, quod in osculo Patris & Filii, ex quo Spiritus sanctus procedit, mediam quodammodo se invenit anima sancta. Per hoc enim solum intendit, quod eodem amore & osculo, quo Pater & Filius Spiritum sanctum producunt, electos suos secundario, vel concomitantem diligunt, & veluti osculantur.

DIGRESSIO PRIMA

De tribus nominibus Spiritus Sancti propriis.

Quilibet ex personis divinis tria sibi propria habet & peculiaria nomina: Patris, Ingeniti, & Fontalis principii, prima: Filii, Verbi, & Imaginis, secunda: Spiritus sancti, Amoris, & Doni, tertia. De primo tertie personae nomine agit D. Thomas quest. 36. art. 1. de aliis vero qu. 37. & 38. Nos vero de illis in hac Digressione breviter differemus.

§. I.

Cur tertia sanctissima Trinitatis persona Spiritus Sanctus appellatur?

99 Variae solent hujus nominis assignari rationes. Prima sumitur ex D. Thoma 4. contra Gent. cap. 19. ubi sic dicitur: *Quia amorem in voluntate existit, ut inclinans, & quodammodo impellens invisceribus amantem in ipsam rem amantem; impulsus autem rei vivente ab interiori, ad spiritum pertinet; convenit Deo per modum amoris procedenti, ut spiritus dicatur, ejus spiratione quasi quaedam spiratione existente. Hinc est quod Apostolus spiritui & amori impulsus quemdam attribuit: dicitur enim ad Rom. 8. Qui spiritus Dei agitur, hi filii Dei sunt. Et s. ad Corinth. 5. Caritas Christi urget nos.*

Adde quod Spiritus sancti processio plures & egregias 100 cum spiratione nostra habet similitudines & analogias. Sicut enim ab interiori corporis, nempe a corde, pulmone, & visceribus, respiratio procedit; ita & dilectio qua Spiritus sanctus procedit, intima ac visceralis est, & ex infinita Patris ac Filii bonitate proveniens. Sicut respiratio a calore cordis causatur, ita & divina illa spiratio ex infinito caritatis ardore procedit. Sicut respiratio continua est, & nunquam interrumpitur, quia homo vivit; ita & suavissima illa Patris & Filii dilectio & spiratio, aeterna est & omnis successioe ac vicissitudinis experta. Sicut respiratio est actio maxime vitalis, & vitae corporeae conservativa; ita & illa dilectio est perfectissima vitae divinae operatio. Unde Athanasius relatus a D. Thoma opusc. 1. c. 7. de Arianis loquens, qui negabant Filium & Spiritum sanctum esse consubstantiales Patri, sic ait: *Murum faciunt Patrem & sine verbo, qui omnibus rationalibus facultatem dedit loquendi. Mortuum etiam ipsam Patrem dicunt, & expertum viventis naturae, in quantum scilicet negant Spiritum sanctum consubstantialem Patri. Illi concinit Cornelius Mussus, dum in libro de divina historia haec scribit: An non habet Verbum Deus, ut sit mutus? An non habet Spiritum, ut sit mortuus? Loquitur Deus, & eruditur Verbum: vivit Deus, & spirat Spiritum. Vero inquam spirat; non emittit solum, sed attrahit & retinet. Si homo emitteret spiritum, & non attraheret, non viveret. Porro alium aerem attrahit, alium emittit; sic spirat, ut respicit. At vero Deus eundem spiritum a se emittit, & in seipso retinet; ideoque non eandem spirat, sed etiam respicit. Denique sicut respiratio fovet calorem nativum, & nimium cordis ac pulmonum ardorem, dulci refrigerio temperat: ita Spiritus sanctus in nobis ardorem concupiscentiae refrigerat & divini amoris calorem & flammam, suavissimo suarum inspirationum flatu nutrit & fovet. Unde ab Ecclesia, in usu temporis ac dulci refrigerium appellatur.*

Itaque cum tertia sanctissima Trinitatis persona, a Patre & Filio, ut suavissimum utriusque halitus, & aura lenis procedat: ejus processio, spiritico convenienter appellatur, & illi nomen Spiritus recte convenit: praeterea cum sit veluti osculum Patris & Filii, ut infra ex D. Bernardo referemus. Sicut enim emittunt, & imittunt ad invicem: ita Pater osculando Filium, sacram amoris sui auram efflat; qua (ut infra ostendemus) nedum ipse vivit, sed omnia extra se vivificat.

Praeterea nomen Spiritus ideo tertiae appropriatur personae, quod suis donis nos spiritaliter efficit, & in quamdam divine spiritualitatis trahit participationem. Unde Magister in 1. distinctione 18. dicit duplicem nos accepisse a Deo Spiritum, unum quo essemus, & alium quo sancti & spirituales essemus. Nam spiritu creato, qui est anima rationalis, sumus: spiritu autem increato, qui est Spiritus sanctus, spirituales & sancti sumus. *homo enim (inquit Basilus) Spiritus sancto sanctum animal factum est. Utrumque Spiritum Deus Adamo in sua creatione infudit, juxta illud Genes. 2. Formavit hominem de limo terrae, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. Sed quia per peccatum spiritum gratiae & caritatis amisit: ejus culpa condigna satisfactione deleta, Christus post mortem & resurrectionem suam, rursus insufflavit, & dixit Discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum. Ita praeterea Ambrosius, verba allegata Genes. expendens: *insufflaverat tibi Deus (inquit) ut inspirationis sua dona haberet gratiam, quam tibi culpa suffulcras: Factus eras in animam viventem, sed quia peccator signaculum tenere non potuisti, propterea venit Jesus & cum haec dixisset, insufflavit dicens: accipite Spiritum sanctum.**

Spiritualitati convenienter adiungitur sanctitas, & tertia sanctissima Trinitatis persona, merito Spiritus sanctus nuncupatur. Licet enim sanctitas sit aliquod attributum, tribus personis commune, ut sacrum declarat testifium, quod Seraphici Spiritus Isaie 6. decantant: specialiter tamen titulo Spiritui sancto tribuitur, quia illi ex vi processionis, & ratione proprietatis personalis convenit, ut docet S. Thom. in 1. dist. 10. qu. 1. art. 4. ad 4. ubi sic dicitur: *In opere natura non est invenire rebus & non rebus, quia natura semper eodem modo operatur: bene tamen in opere voluntatis; quia voluntas non semper eodem modo operatur; & ideo convenienter sanctitas quae voluntatem voluntatis importat adiungitur processionis Amoris, & non generationis quae est operis naturae.*

Confirmatur: Si actus caritatis (quae est solum quaedam 102 imperfecta divini amoris participatio, & veluti quaedam scintilla, ex illo purissimo divine caritatis igne in cor humanum progrediens) perfectissime creaturam rationalem sanctificat, & omnia ejus delet peccata, juxta illud Christi de Magdalena: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: quanto magis perfectissima illa dilectio, & suavissima Patris ac Filii spiratio, erit actus infinite sanctitatis, & terminus illius purissimus & sanctissimus.

Deinde Divinus ille Spiritus, recte Sanctus appellari 103 potest: quia est creatura rationalis sanctificator, & totius sancti-